

3

MERITA RECENTIORVM
DE
INGENII ET LITTERATVRAE AMOENIORIS
LIBERALI CVLTV
PAVCIS RECENSET

ET
SENATVM AMPLISSIMVM
MINISTROS ECCLESIAE MAXIME
REVERENDOS
GYMNASII COLLEGAS CLARISSIMOS
OMNESQVE
BONARVM ARTIVM FAVTORES ET PATRONOS
AD
SOLENNIA GREGORIANA

IN GYMNASIO D. xxx. DEC. c^{is} 1567.

CELEBRANDA
HUMANISSIME OBSERVANTISSIMEQVE INVITAT

M. FRID. CHRIST. BAVMEISTERVS, GYMN. RECT



GORLICII,
EX OFFICINA FICKELSCHERERIA.

UT A VO EIKONOGRA



I.

Quas, inde ab orbe condito, artes inuenit ingenii humani solertia, uarii sunt generis. Aliae necessitatibus uitae expediundis seruiunt, aliae spectant ad iucunditatem, decus, et elegantiam. Illas uocari, moris est, mechanicas, has elegantiores. (a)

(a) Quam in rem praecclare Cicero, omnes, inquit, magni fuerunt, qui fruges, qui uestitum, qui tecta, qui cultum uitae, qui praesidia contra feras inuenierunt. A quibus mansueti et exculti, a necessariis artificiis ad elegantiora defluximus. Nam et auribus oblectatio magna parta est, inuenta et temperata uarietate et natura sonorum. Tusc, I. c. 25.

II. Harum artium elegantiorum, quo referuntur uel in primis poesis, eloquentia, musica, ars pictoria et sculptoria, cert. magna est commendatio, magnus usus cum in omni uita,

A 2

uita, tum in scientiarum sublimiorum cultu. Duo nimirum sunt, quae in uniuersa eruditione decet consecitari, VERVM et BONVM. At cum, quod in seuerioribus disciplinis traditur, uerum bonumque austeritatis per saepe habeat plurimum, condimenta quaedam inuenit ingenii humani festiuitas, quibus doctrinae grauioris studium molliatur, efficiaturque adeo, ut ueritas in aures animosque sine salebris, sine asperitate, suauissime influat.

III. Si in antiquissimorum temporum memoriam redimus, si ipsa omnis eruditionis, omnis elegantiae incunabula in ueterimis doctissimisque poetarum monumentis inuestigamus, eam Graecos Romanosque ueri inueniendi communicandique cum aliis rationem, legimus, iniisse, ut, qua cura intelligendi uim ad uerum bonumque instruebant, eadem, et paullo maiori etiam, animos, solidioris doctrinae cupidos, sensu uenusti pulchrique imbuerent, ingenii studiorumque amoenitates ita consecitati, ut id unum agere uiderentur.

IV. Veterum uestigia persecuti recentiores nihil intermisserunt, quod ad elegantiorum artium fines longius proferendos pertineret, de litteraturae uenustioris liberali cultu optime merituri. In quo quamuis Galli, gens ad elegantiam nata exultaque, ceteris nationibus dubiam adhuc fecisse, ne dicam, praeripuisse palmam uideantur, eo tamen, inde ab aliquot annis, progressi sunt Germani, ut nec Gallis, nec Britannis, nec Italisch, nec ulli alii genti, inge-

ingenio et miro litteraturae amoenioris altius prouehendae studio concedere recte existimentur. Ciuium ergo nostrorum merita de elegantiori litteratura commemorare, non erit ab hoc loco alienum.

V. Germani uero non una eademque ratione, sed alii, alias ingressi uias, de ingeniosae festiuitatis studiis adhuc promereri studuerunt, sociatis operis id consecuti, ut nulla elegantiorum artium pars inulta desertaque fuerit relata.

VI. Nonnulli, quicquid habet uenustatis uniuersus elegantiorum artium ambitus, totum hoc concluserunt uno uolumine, regulis, ad quas pulchri sensus exigi debeat, dilucide, nexusque facili, propositis. Quo pertinent BAUMGARTENIVS, (b) qui leges eruditae *αιωνίστεως*, artemque sensus et phantasiam ad pulchrum in quaque re inueniendum recte conformandi primus e Germanis tradidit, MEIERVS, (c) BASEDOVIVS, (d) LINDNERVS, (e) RIEDELIUS, (f) SVLZERVS, (g) MOSES MENDEL-SOHN, (h) alii, ROLLINI, (i) et maxime BATTE-SII, (k) (Batteux) exemplis incitati.

(b) ALEXANDER GOTTLIEB BAUMGARTENIVS, philosophiae professor primum in Academia Halensi, post Francofurtana, praematura morte ante aliquot annos elegantioribus Musis ereptus, cum, qua erat mentis sagacitate, intelligeret, in plerisque philosophorum libellis praepostaram de humano animo docendi rationem ita iniri, ut superiores quidem, quas uocant, cognoscendi facultates, intellectum, rationem, iudicium, attentionem, reflexionem, explicarent, harumque uirium usum ostenderent, at inferiores, sic enim appellant philosophi, sensus nimirum, phantasiam,

A 3

memo-

memoriam, ingenium, fictionem, cet. prorsus negligerent, nec regulas iis
recte utendi traderent, id cepit consilii, ut pracepta, quibus non modo
erudita mens et intelligentia, sed erudit quoque oculi et eruditae aures
formarentur, luci publicae ederet. Aesthetorum ergo partem pri-
mam 1750. alteram, paucis post annis, edidit, id consecutus, ut post id tem-
pus philosophi nostri, sensum et Φαντασίας ope, diligentius, quid in qua-
que re pulchrum et elegans esset, exquirerent, quam antea, cum Logica
et Metaphysica non, nisi ad abstrahendi intelligendique facultatem et usum,
referretur.

- (c) GEORGIVS FRIDERICVS MEIERVS, cum aliis pluribus, quae edidit, scri-
ptis, tum uel maxime hoc, quod inscribitur: *Anfangsgründe aller schönen
Künste und Wissenschaften*, III. Tom. in 8. Hal. 1750. egregie de artium ele-
gantiorum incrementis meritus est. Quas meditationes cum iuuentuti, amo-
nioris litteraturae studiosae, commodius inseruituras uideret, si arctius con-
traherentur, scripsit in usum Auditorum: *Auszug aus den Anfangsgründen
aller schönen Künste und Wissenschaften*, 1757. 8.
- (d) Io. BERNHARD. BASEDOW, Gymnasii Altonauensis Professor, acutissimi
uir ingenii, sed ad serendas lites paullo propensior. Huius libellus, qui
sub titulo circumfertur: *Lehrbuch prosaischer und poetischer Wohlredenheit*,
Koppenhagen, 1756. 8. multo sale refertus, bonaeque frugis, non omni-
no nihil adfert adiumenti ad elegantias artium gustu percipiendas.
- (e) Io. GEORGIVS LINDNERVS, scholae cathedralis Rigenis Rector antea,
nunc poeseos Professor in Academia Regiomontana, hoc ipso anno, foras
dedit *Lehrbuch der schönen Wissenschaften*, insonderheit der Prose und der
Poesie, in quo libro regulas, undique operosius conquisitas, confuse et per-
mitte dispersas uideas, utiliores futuras, si concinno aptoque digererentur
ordine.
- (f) FRIEDER. IVST. RIDELIVS, edidit *Theorie der schönen Künste und Wis-
senschaften: ein Auszug aus den Werken verschiedener Schriftsteller*, 1761.
Jenae, P. I. 8. Quem nonnullis, iisque non indoctis, uel ideo probari, ex
ephemeridibus litterariis intellexi, quod, philosophia in consilium adhibita,
suo quamque doctrinam momento recte expendat, et, caussis rerum solicite
inuestigatis, in interiores artium elegantiorum recessus penetret.

(g) Io.

- (g) Io. GEORGIVS SVLZERVVS, Professor Gymnasii Berolinensis, cum ob exquisitam philosophiae scientiam, tum ob ingenii elegantiam, miramque ea, quae cogitat, polite ornatiusque enunciandi artem prorsus admirabilis. Publicauit furzen Begriff aller Wissenschaften, qui libellus, saepius recusus, dici non potest, quantum in optimo quoque cieat desiderium uidendi legendique, quod promisit, scriptum sub titulo: Handbuch der schönen Wissenschaften. Vid. Briefe der N. Litteratur, Th. V. p. 86.
- (h) MOSES MENDELSON, Iudeus ille quidem Berolinensis, at exquisitoris philosophiae, omnisque, quae ad nitidissimum ingenii cultum pertinet, elegantiae scientissimus, ita, ut uel eruditissimi eum saeculi nostri Platonem uocare nulli dubitet. Praeter ea, quae in scriptis suis ad philosophiam pristinae dignitati, decori, et euidentiae restituendam attulit, plurimum profuit litteraturae elegantiori. Non enim modo meditationes über die Empfindungen, 1755. Berolini elegantius proposuit, uerum quoque edidit: Abhandlung über die Hauptgrundsätze der schönen Künste und Wissenschaften. Berol. 1761. 8. unus omnium maxime aptus ad regulas aestheticas largiori luce perfundendas.
- (i) CAROLVS ROLLINVS, Gallorum decus immortale, scripsit: Maniere d'enseigner et etudier les belles lettres, ex disciplina ueterum ingenia formaturus. Quem librum ab erudito SCHWABIO, 1737. Lipsiae in patriam conuersum linguam, quis est elegantioris litteraturae paullo studiosior, qui non summa cum uoluptate legat?
- (k) BATTEUX, publicus eloquentiae Professor in Academia Parisiensi, unus omnium maxime inter elegantioris litteraturae principes uindicesque referendus est. Qui cum Parisiis 1747. in IV. Volum. 8. edidisset librum, cuius index est: Cours de belles lettres, et post: Les beaux Arts reduits a un même principe, 1756. IV. T. 12mo, dici non potest, quantus ardor animos Germanorum, aemulantium mores et studia peregrina, incenderit, plus, quam consueuerant antea, temporis operaeque elegantioribus artibus ornandis amplificandisque impendendi. Qua in re mire ciuium suorum studio subueniebant SCHLEGELIVS et RAMLERVS, quorum uterque, de libellis Battessianis praeclare meritus, et uersionibus, nitide adornatis, et uarii generis illustrationibus uiam ad elegantioris cultum litteraturae reddit expeditiorem. Ex hoc Battessianae elegantiae fonte plurimos, qui post secuti sunt, suos rigasse hortulos, quis nescit?

VII.



VII. Cum dubitari non possit, quin, quos uetus Graecia Latiumque reliquit, scriptores fere omnes antiquae, quam tantopere admiramur, uenustatis sint ueluti promi condì, intelligitur, quantum Germania, qua ingenii amoenioris cultu perpolitur, debeat iis, qui, exemplo Gallorum, praestantissimos quosque uel poetas, uel oratores, uel historicos ex omni antiquitate, Germanice conuersos accurate interpretati sunt. Ita enim factum, ut ii, qui ad studia duriores uidebantur, paullatim elegantiae sensum ex ueterum scriptorum lectione, quam reddiderat faciliorem uersio, referrent. Neque uero omnes, quibus saeculum nostrum laborat, interpretationes veterum Germanicas laudauerim, putidas saepe illas et insulas, at eas tamen, quae eruditissimorum virorum ingenio parique iudicio et accuratione consecratae sunt, non negauerim, plurimum posse et solere adferre utilitatis ad gustum elegan- tiae nitidioremque eorum cultum, qui, quamuis non sint eruditi, haberi tamen nolunt inficeti, sine sapore, sine sensu, sine omni humanitatis uenustate. Magna cum uolup- tate, maiorique cum fructu, legunt ciues, qui non inelegantes putantur, Thucydidem, interprete HEILMAN- NO, (l) germanice redditum, Herodoti et Xenophontis historias, a GOLDHAGENIO (m) patro explicatas sermo- ne, Plutarchum KINDII, M. Aurelium Antoninum HOF- MANNI, Sallustium ABBTII, (n) Tacitum MULLERI, (o) et GOLDHAGENII, Horatianas odas illustris Comitis de SOLMS, Virgilium OVERBECKII, (p) tot Poetas grae- cos, Homerum, Pindarum, Sophoclem, alios, ab erudi- tissimis,

tissimis, quibus superbit Heluetia, uiris in teutonicam translatos transferendospue linguam, et uelut domestica ueste patrioque habitu indutos. Quorum instituta quautam uim habere putas ad eorum ingenia politius elimanda, quibus, ob graecae latinaequae linguae inficitiam, aditus ad elegantiae ueteris fontes interclusus uidebatur?

(l) Professor et D. Theologiae in Academia Gottingensi, ante paucos annos maturius, quam optauerant eruditi, fatis finctus, et ob exquisitam humanioris litteraturae rerumque sacrarum scientiam meritorumque amplitudinem, immortalitate dignissimus, Thucydidem, germanice conuersum, editit Lemgouiae, 1759, 8.

(m) Io. EVSTACHIVS GOLDHAGEN, Rector scholae cathedralis Magdeburgen sis meritissimus uertit et edidit Herodotum 1756. Lemg. 8. Xenophontis Libr. VII. Histor. graec. 1763. Berol. 8. itemque Pausaniam, Berol. 1766. I. II. P. et nuper Tacitum.

(n) THOMAS ABBT, primum philosophiae et mathematum in Academia Rintelensi Professor, post Comitis Schaumburgici Confiliarius, diuini prorsus uir ingenii, in quo, quid natura efficere possit, uidetur experta. Abbtiani ingenii suavitates exosculantur omnes illi, quibus contigit, uel unicum eius librum, de meritis, legere. Praeter alia immortalitatis monumenta, omni aere perenniora, reliquit Sallustium germanice conuersum, hoc ipso anno editum, plura ingenii prorsus admirabilis documenta datus; nisi praematura morte, ante hunc annum, rebus humanis esset exemptus.

(o) Io. SAMVEL MÜLLERVS, scholae Iohanneae Hamburgensis Rector, cum alia plura ex Platore germanice reddidit, tum vero Taciti interpretatione Germanica, Hamburg. 1765, 8. in duob. vol. edita, multam meruit laudem, liticulis licet non nullis ex eo ortis.

(p) Io. DANIEL OVERBECK, Gymnasii Lubecensis Rector, Virgilii Bucolica, additis animaduersionibus, transtulit in Germanicam linguam, numeris uincitam, 1750. 8.

B

(q) Quid



(q) Quid tentauerint, quid effecerint Heluetii nonnulli, iisque ingeniosiores in Homero, Tigur. 1760. germanice reddendo, docet die Bibliothek der schönen Wissenschaften. Lips. Tom. VII. p. 1.

VIII. Ex quo tot diariorum, (r) bibliothecarum, (s) ephemeridumque et epistolarum (t) scriptores, quorum magnum adhuc tulit prouentum Germania, uel linguae patriae ad pristinum decus dignitatemque reuocandae, uel artium elegantiorum monumentis conseruandis, uel libris, munditiae, uenustatis, prudentiaeque plenis, et amoeno cultu conspicuis commendandis, aut censoriae seueritatis nota persequendis intenti fuere, cooperunt se magis extollere elegantiora studia, pluresque e Germanis, quam ante id tempus, ingenium in promtu habere.

(r) E quibus, neque enim omnia uel meminisse uel adduxisse profuerit multum, commemorare potiora et praecipua sufficiat.

1. Kritische Beiträge zur Historie der deutschen Sprache, 8. Lips. 32 P. 1732.

2. Belustigungen des Verstandes und des Wißes, Lips. 1742. T. 8. Sociarant operas, laudabili exemplo, sub id tempus, nonnulli Magistri Lipsienses, elegantiorisque litteraturae studiosi, inierantque consilium, uarias ingenii amoenioris commentationes, tum soluto, tum ligato orationis genere, scribendi, scriptasque quaque hebdomade publicandi. Cui instituto tanto plus debet elegantiorum artium progresio, quanto maiorem sibi his lautitiis, leporis multique salis plenis, conciliarant famam ii, qui socias operas ingenii amoenitatibus promouendis addixerant. Quos inter fuerunt GELLERTVS, KLOPSTOCKIVS, RABNERVS, SCHLEGELII, MYLIVS, KAESTNERVS, LESSINGIVS, GAERTNERVS, CRAMERVS, GIESEKE, ZACHARIAE, EBERTVS, alii, quorum nomina quantopere constanti fama et eruditissimi cuiusque sermone et laudibus celebrata adhuc fuerint, celebrenturque etiam nunc, quis est elegantioris humanitatis tam expers, qui ignoret?

3. Ha-

3. Harum commentationum Lipsiensium in locum successerant, *Beyträge zum Vergnügen des Verstandes und Witzes*, quae, auctore et moderatore GAERTNERO, Bremae 1760, edi coeptae sunt, ad finem, quatuor Tomis completis, perductae Quibus, polite et limitatius elaboratis, sunt, qui tantum, quantum ipsis Lipsiensibus, tribuunt laudis uel plusculum etiam.

4. Prae ceteris ingenii festiuoris commentatiunculis, in unum libellum collectis, quae multae sunt, eminent, meo quidem iudicio, breslauische vermischt Beyträge zu der Philosophie und schönen Wissenschaften, quarum haec dos est, ut et facultatem bene cogitandi, et de pulchro uenustoque artium elegantiorum recte existimandi lautius instruant.

(s) Huc refertur meritissimo Bibliotheca elegantiorum artium Lipsiensis, (*Bibliothek der schönen Wissenschaften und der freien Künste*,) inde ab anno 1757. usque ad ann. 1765. in XII. Tom. continuata.

Postea prodit, nouo hoc titulo profixo, *Neue Bibliothek der schönen Wissenschaften*, usque ad nostra tempora progressa. Dici non potest, quantam eruditionis amoenioris elegantiaeque dulcissimae copiam et ubertatem complectatur haec bibliotheca, cuius maxima partem debemus elegantissimo WEISIO, eleganter docto, et prorsus Gratiarum manibus facto.

Pari iure laudari maximopereque commendari meretur die *allgemeine deutsche Bibliothek*, quae Berolini prodit, et, V. Tomos complexa, non modo rei litterariae uniuersae, uerum quoque, uel in primis, iis artibus, quae ingenii amoenitatibus seruiunt, ornandis prouelendisque est accommodatissima.

Nuper quoque coepit illustris KLOTZIVS, de elegantiori litteratura, si quisquam, meritus, primam partem bibliothecae nouae, politioribus artibus amplificandis aptissimae, publicare, cuius quidem elegantia, ut KLOTZIANA omnia, dubitari non potest, quin plurimum artium amoeniorum finibus longissimae proferendis sit inseruitura. Sic inscribitur: *Deutsche Bibliothek der schönen Wissenschaften*, P. I. Halae 1767. edit.

(t) Quod his, quas commemorauimus, bibliothecis propositum est, eodem spectant et referri uoluerunt epistolae litterariae Berolinenses, *Briefe über die neuße litteratur*, inde ab anno 1749, edi coeptae, et ad XV Volum. magnitudinem prouectae. Harum epistolarum, acriori non nunquam sale

❧ ♦ ❧

refertarum, at elegantiae humanitatisque cultioris plenissimarum, uix credibile est, quantus usus sit cum in uniuersa litteratura elegantiori penitus perspicienda, tum in pulchri sensu rite formando, maxime, si iis addideris nouae litteraturae fragmenta, nuper edita, lectuque iucundissima, (fragmenta über die neue Litteratur. Huc spectant quoqne epistolae Io. CHRISTOPHORI STOCKHAVSENII, Luneburgensis Iohannei antea, nunc Gymnesii Darmstadiensis Rectoris clarissimi, cuius critischer Entwurf einer auserlesenen Bibliotheck für den Liebhaber der Philosophie und schönen Wissenschaften, tam probatur elegantiarum et uennstatis cultoribus, ut hic libellus in Academiis iuuentuti, ad decus et ingenii amoenioris cultum formandae, explicari soleat.

IX. Haec quidem generatim sufficient, ad intelligendum, quibus quantisque meritis inclarerint recentius Germani, elegantiae, decoris, omniumque, a quibus seuerioris doctrinae studia pulchritudinem mutuentur, ornamenterum tam studiosi, ut ipsi Galli hanc ingenii, politius exculti, gloriam ciuibus nostris inuidere occipient.

X. Quod euidentius multo apparebit, si singulas artium elegantiorum et litteraturae amoenioris partes latius persequendi data fuerit occasio. Harum neutram non expoliri a Germaniae eruditis, uehementer laetamur, optimusque, ut, quicquid usquam defluxerit amoenitatum ex liberali elegantioris litteraturae cultu, id omne pertineat ad animos maiori solidioris seueriorisque doctrinae amplificandae studio inflammados. De quo in posterum.

XI. So-

XI. Solennia Gregoriana, iussu et auctoritate SENATVS AMPLISSIMI, in Gymnasio craftina luce celebranda, paucis his indicere uisum est. Orationes, colloquia, ceterasque iuueniles exercitationes ut Patroni, litterarumque Fautores, sua quisque dignitate colendi, audiendi benevolentia probent, maiorem in modum et enixe rogo.
P. P. GorlicI, d. XXIX Dec. cl^o Icc LXVII.



B 3

Ein:



Einrichtung des morgenden Actus.

Die morgende Gregorianische Feierlichkeit ist von je her beim Jahreswechsel in unserer Schule darzu bestimmt gewesen, daß wir dem unendlichen Gott Dank und Gebet geopfert, Dank für den reichen Genuss unzähliger Wohlthaten im zeitlichen und geistlichen, Gebet um die gnädigste künftige Beschränkung der Stadt und des Landes, der Kirche und der Schule. Diese Absicht suchen wir in dem morgenden Actu ebenfalls zu erreichen. Es werden vor diesesmal einige Untergebene aus allen Classen auftreten, und durch kurze deutsche Reden und Gespräche die resp. Hochgeehrte Zuhörer zu unterhalten suchen.

Aus PRIMA

Wird 1. Benjamin Gottfried Häntschel, aus Zittau, in deutscher Sprache, die Harmonie im Natur- und Sittenreiche betrachten.

2. Wilhelm Gottlob Herrmann, aus Bischofsw. wird einige Vortheile der Historie der Gelahrheit vorstellig machen. Beyde nach eigener Wahl und Ausarbeitung.

Aus SECUNDA

werden Heinrich Gottlob Rieschke, von Görlitz,
Christian Samuel Mende, von Görlitz,
Wilhelm Ludewig Schmidt, von Sebnitz,
ein Gespräch über die Frage: Was giebt es Altes? halten, und
Friedrich Wilhelm Kober, aus Görlitz,
wird als Nachredner in einer deutschen Ode sich und seine Mitschüler empfehlen.

Aus

* * *

Aus TERTIA

werden Christian Gottlob Huscher,
 Johann Gottlob Spiller,
 Carl Traugott Hofmann, } Gorl.
 ebenfalls in einer Unterredung über die angenehme Erinnerung der
 Schuljahre Betrachtungen anstellen.

Aus QVARTA.

treten folgende Knaben auf:

Christian Friedrich Bergmann,
 Christian Samuel Schmidt,
 Christ. Gottlob Menzel,
 Joh. Christ. Puse, von Kohlfurt,
 Samuel Gottlieb Kusche, Gorl.

und schildern das Bild eines Christen.

Aus QVINTA

halten Johann Gottlieb Priezel,
 Joh. Wilh. Caspar Rahle, } Gorl.
 Christian Gottlob Mauckisch,
 ein Gespräch von der Erbauung der Stadt Görlitz.

Wir ersuchen alle Gönner und Patronen des Gymnasii,
 wie auch E. lobl. Bürgerschaft, diesen jugendlichen Uebungen
 gütigst zu bejewohnen.



Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

yes. 3	"	"
6. 16	digitalisiert	PPN:
" 15	"	PPN

SACHSEN-ANHALTISCHE LANDESBIBLIOTHEK



2 0091899

3A 5107

